



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III. Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et Decreta

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Sessio Sexta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

quibuscumque non obstantibus, opportunis remedijs omnino arceantur.

Indictio futuræ Sessionis.

Item hæc sacrosancta Synodus statuit, & decernit, proximam futuram Sessionem tenendam, & celebrandam esse die Iouis, feria quinta post festum B. Iacobi Apostoli.

Prorogata deinde fuit Sessio ad diem 13. mensis Ianuarij 1547.

SESSIO SEXTA,
CELEBRATA DIE XIII.
MENSIS IANVARIJ
M. D. XLVII.

Decretum de iustificatione.

PROOEMIUM.

Cum hoc tempore, non sine multarum Animarum iactura, & graui Ecclesiasticæ vnitatis detrimento, erronea quedam disseminata sit de iustificatione doctrina; ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiæ tranquillitatem, & animarum salutem Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, & Spiritu sancto legitime congregata, presidentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ tertij, Reuerendissimis Dominis, Domino

Ioan-

a Heb. 12.

Ioan. Maria. Episcopo Prænestino, de Mõre, & Marcello, tit. S. Crucis in Hierusalẽ Presbytero, sancte Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicis de latere Legatis; exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinã ipsius iustificationis, quam Sol iustitiæ Christus Iesus a fidei nostræ auctor, & cõsummator, docuit, Apostoli tradiderũt, & Catholica Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit, districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere, quàm præsentis decreto statuitur, ac declaratur.

De naturæ & legis ad iustificandos homines imbecillitate.

CAPVT I.

b Celest. 1.
ep. 1. c. 4.
1. Cor. 15.
Rom. 3.
c Isa. 64.
d Ephes. 3.
sup. Sess. 5.
in prin.
e Rom. 6.
& 3.
Heb. 2.
f Conc. 2.
Arausic.

Primũ declarat sancta Synodus, ad iustificationis doctrinam probè & sincerè intelligendã, oportere, vt vnusquisq; agnoscat, & fateatur, quod v̄ cũ oēs homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidissent, & facti immundi, & vt Apostolus inquit, d natura filij iræ, quẽ admodum in decreto de peccato originali exposuit, vsque ad eò serui erant peccati, & sub e potestate Diaboli ac mortis, vt nõ modo Gentes per vim nature, sed ne Iudei quidẽ per ipsam etiam litterã legis Moyse, inde liberari, aut surgere possent, tametsi in eo liberum arbitrium minimè extinctum esset, f viribus licet attenuatum, & inclinatum.

De di-

De dispensatione, & ministerio ad-
uentus Christi.

C A P V T I I.

Quo factum est, ut cœlestis pater, & pater
misericordiarū, & Deus totius consola-
tionis; Christum Iesum, filium suum, & ante
legem, & legistempore multis h sanctis Pa-
tribus declaratum, ac promissum, cum venit
beata illa plenitudo tēporis, id homines mi-
serit; ut & Iudæos, qui sub lege erant, redime-
ret, & gentes, quæ nō sectabantur iustitiam,
iustitiā apprehenderēt, atq; omnes adoptio-
nem filiorū reciperent. Hunc proposuit Deus
propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro
peccatis nostris; non tñ solum autem pro no-
stris, sed etiam pro totius mundi.

Qui per Christum iustificantur.

C A P V T I I I.

Verum, etsi ille pro omnibus mortuus a est,
non omnes tamen mortis eius beneficium
recipiunt, sed ij duntaxat, quibus meritum
passionis eius communicatur. nam sicut reue-
ra homines, b nisi ex semine Adæ propagati na-
scerentur, non nascerentur iniusti. cum ea pro-
pagatione, per ipsum dum concipiuntur, pro-
pria iniustitiam contrahant: ita, nisi in Christo
renascerentur, nunquam iustificarentur; cum
ea renascentia per meritum passionis eius gra-
tia, qua iusti fiāt, illis tribuatur. Pro hoc bene-

ficio

g 2. Cor. 1.
h Gen. 49.
cum sim.
i Gal. 4.
k Ro. 9.
l Rom. 3.
& 5.
Colof. 2.
1. Tim. 2.
& 2. Ti. 1.
c. multi-
plex de
pœ. dif. 1.
m Ioan. 1.

a 2. Cor. 5.
b Allusio
ad verba
Aug. epif.
89. Oēs
qui rena-
scuntur
in iustifi-
cationē,
&c. quæ
alibi cre-
bro incul-
cat infra
cap. 1.

e Colo. 1. *ficio Apostolus gratias nos e semper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partē sortis Sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitq. in regnum filij dilectionis sue; in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum,*

Insiuatur descriptio iustificationis impij, & modus eius in statu gratiæ.

CAPVT IV.

d Gala. 4. *Q*uibus verbis iustificationis impij descriptio insinuatur, vt sit trāslatio ab eo statu, in quo homo nascitur & filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum, Saluatorem nostrum, que quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri nō potest, sicut scriptū est: e Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu

Tit. 3. *sancto, non potest intrare in regnum Dei.*

e Ioa. 3. c. *filius & c. nō dubito. de cōse. dist. 4.*

De necessitate præparationis ad iustificationem in adultis, & vnde sit.

CAPVT V.

*D*eclarat præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullus eorum existētibus meritis, vocantur; vt, qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitātem, atq. ad-

iuuant-

uantem gratiam suam ad cōuertendum se ad
 suam ipsorum iustificationē, eidem gratiæ li-
 berè assentiendo, & cooperando, disponatur: a
 ita vt, tangente Deo cor hominis per Spiritus
 sancti illuminationē, neq homo ipse nihil om-
 ninò agat, inspirationem illam recipiēs, quippe
 qui b illam & abijcere potest, neq tamen si-
 ne gratia Dei mouere se ad iustitiam coram il-
 lo libera sua volūtate possit. vnde in sacris lit-
 teris, cū dicitur: c Conuertimini ad me, &
 ego cōuertar ad vos: libertatis nostræ ad mone-
 mur, cū respondemus: Conuerte nos Domine
 ad te, & conuertemur: Dei nos gratia præueni-
 ri confitemur.

Motus præparationis.

CAPVT VI.

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dū
 excitati diuina gratia, & adiuti d fidem
 ex auditu concipientes, liberè mouentur in
 Deum credentes vera esse, quæ diuinitus reue-
 lata, & promissa sunt; atque illud imprimis, à
 Deo iustificari impium per gratiam eius, per e
 redemptionē, quæ est in Christo Iesu, & dum
 peccatores se esse intelligentes, à diuine iusti-
 tiæ timore, quo vtiliter cōcutiuntur, ad cōside-
 randā Dei misericordiā se cōuertendo, in spem
 eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christū
 propitium fore illumq; tanquam omnis iusti-
 tiæ fontem, diligere incipiūt: ac propterea mo-
 uentur f aduersus peccata, per odiū aliquod, &

de-

a Inf. c. 3.

b Prosp. 1.
 2. de voc.
 gentium,
 c. 28 & 29.

c Zach. 1. a
 loel. 2. c.

conuerti-
 mini de
 pœ. dist. 1.

Thre. 5. d.
 Hier. in

fi. oratio-
 nis, & ca.

11. c.
 d Ro. 10.

e Rom. 3.

f Inf. cap.
 14. & Sess.

14. cap. 4.
 de contri-
 tione.

g Heb. 11.
 h Marc. 2.
 Matth. 9.
 i Eccles. 1.
 k Act. 2. c.
 agunt, &
 c. proprie
 de consec.
 dist. 4.
 l Matt. vl.
 Luc. 24. c.
 prima. e.
 siqua. & c.
 c. proprie,
 de conse.
 dist. 4.
 m 1. Reg.
 7. a.

detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: deniq; dñ proponūt suscipere Baptismum, inchoare nouā vitam, & seruare diuina mādāta. De hac dispositione scriptum est: g *Accedētem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Et, h *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et, i *Timor Domini expellet peccatum.* Et, k *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Et, l *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare, quæcunque mandauī vobis.* Denique, m *Preparate corda vestra Domino.*

Quid sit iustificatio impij, & quæ eius causæ.

CAPVT VII.

Hanc dispositionem, seu preparationem iustificatio ipsa consequitur; quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit a heres secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ sunt, finalis quidē gloria Dei, & Christi, ac vita æterna: efficiens

a Tit. 3.

ve-

verò, misericors Deus, qui gratuito d'abluit, & d i. Cor. 6.
 e sanctificat signans, & vngens f' spiritu pro- e Tit. 3.
 missionis sancto; qui est pignus hereditatis no f Ephes. 1.
 stræ: meritoria autem dilectissimus vnigenitus
 suus, Dominus noster Iesus Christus: qui, cum g Ephes. 2.
 g essemus inimici, propter nimiam caritatem, Rom. 5.
 qua dilexit nos, sua sanctissima passione in li- h Ephes. 2.
 gno crucis nobis h iustificatione meruit, & pro Rom 4. d
 nobis Deo Patri satisfecit, instrumentalis itē,
 Sacramentum baptismi; quod i est Sacramen- i c. nihil
 tū fidei, sine qua nulli v'quam contigit iusti- est de cō-
 ficatio: demū vnica formalis causa est iustitia fec. dist. 4.
 Dei; nō qua ipse iustus est, sed qua nos iustos fa-
 cit; qua videlicet ab eo donati, renouamur spi-
 ritu mētis nostræ, & non modo reputamur, sed
 verē iusti nominamur, & sumus, iustitiam in
 nobis recipientes vnusquisque suam secundum
 mensuram, quam k Spiritus sanctus partitur k i. Cor. 12
 singulis prout vult, & secundum propriam cu- Ephes. 4.
 iusque dispositionem, & cooperationem, quā-
 quā enim nemo posset esse iustus, nisi cui me-
 rita passionis Domini nostri Iesu Christi cō- l Philip. 3.
 municātur: id tamen in hac impij iustificatio-
 ne fit, dum eiusdē sanctissimæ passionis merito
 per Spiritum sanctum caritas m Dei diffundi- m Rom. 3.
 tur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque
 ipsis inheret; vnde in ipsa iustificatione cum
 remissione peccatorum hæc omnia simul infu-
 sa accipit homo per Iesū Christū, cui inseritur,
 fidem, spem, & caritatem. n nam fides, nisi ad n inf. c. 10

eam spes accedat, & caritas, neque vnit perfectè cum Christo, neq; corporis eius vnum membrum efficit: qua ratione verissimè dicitur, b
 b Iac. 2. in fin. Fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse.
 c Gal. 5. & 6. c. circumcizio de poen. d. 2. Et, In Christo Iesu neq; circumcisionem aliquid valere, neque preputium; sed fidem, que per caritatem operatur. Hanc fidem ante baptis-
 mi Sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam eternam prestantem; quam sine spe, & caritate fides prestare non potest. vnde
 d Matt. 19. & statim verbū Christum audiunt: d Si vis ad vitam ingredi, serua mādāta. Itaq; veram, &
 e Luc. 15. quomodo renouati de poen. dist. 2. Christianam iustitiam accipientes, eam e ceu primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam & immaculatam iubentur statim renati cōseruare, vt eam perferant ante tribunal Domini Iesu Christi, & habeant vitam eternam.

Quomodo intelligatur, impium per fidem, & gratis iustificari.

CAPVT VIII.

f Rom. 3. **C**um verò Apostolus f dicit, iustificari hominem per fidem, & gratis ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesie Catholice consensus, tenuit, & expressit: vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humane salutis initium, fundamentum

& ra-

& radix omnis iustificationis: & sine qua im- g Heb. 11.
 possibile est placere Deo, & ad filiorū eius cō- infra ca.
 sortium pervenire: gratis autē iustificari ideo
 dicamur, quia nihil eorum, quae iustificationē
 praecedūt, siue fides, siue opera, ipsam iustifica-
 tionis gratiam promeretur, si d enim gratia h Ro. 1.
 est, iam non ex operibus: alioquin, ut idem Ephes. 2.
 Apostolus inquit, gratia iam non est gratia. Tit. 3.

Contra inanem haereticorum
 fiduciam.

CAPVT IX.

Quamuis autem necessarium sit credere, Tit. 3.
 neque remitti, neq; remissa unquā fuisse
 peccata, nisi gratis diuina misericordia pro-
 pter Christum: nemini tamen fiduciam, a
 certitudinem remissionis peccatorum suorū ia- a inf. ca.
 stanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, 12. & 13.
 vel dimissa esse, dicendum est; cum apud here-
 ticos, & schismaticos possit esse, imò nostra tē-
 pestate sit, & magna contra Ecclesiam Catho-
 licam cōtentione praedicetur vana haec & ab o-
 mni pietate remota fiducia. Sed neq; illud asse-
 rendū est, oportere eos, qui verē iustificati sūt,
 absq; vlla omninō dubitatiōe apud semetipsos
 statuere, se esse iustificatos, neminēq; a pecca- b Inf. ca.
 tis absolui, ac iustificare, nisi eñd qui certō cre- 14.
 dat se absolutū, & iustificatum esse; atq; hac so-
 la fide absolutionem, & iustificationē perfici:
 quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deq;

mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, de que Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: si quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatē, & indispositionē respicit, de sua gratia formidare, & timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

De acceptæ iustificationis incremento.

C A P V T X.

c Psal. 83.
infr. can.
24.
2. Cor. 4.
in fin.
Coloff. 3.
d Ro. 6.

e Apoc.
vlt.
f Eccl. 18.
g Iac. 2. d

Sic ergo iustificati, & amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutē, renouantur, vt Apostolus inquit, de die in diē: hoc est, mortificando membra carnis sue, & exhibendo ea arma iustitię in sanctificationem, per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesię, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur, sicut scriptum est: e Qui iustus est, iustificetur adhuc, Et iterum: f Ne verearis vsque ad mortem iustificari. Et rursus: g Videtis quoniã ex operib. iustificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc verò iustitię incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum.

De ob-

De obseruatione mandatorum, deque il-
lius necessitate, & possibili-
tate.

C A P V T X I.

Nemo autem, quantūuis iustificatus, libe-
rum se esse ab obseruatione mandatorum
putare debet: nemo temeraria illa, & à Patri-
bus sub anathemate prohibita voce uti, Dei
præcepta homini iustificato ad obseruandum
esse impossibilia, nā bDeus c impossibilia nō d
iubet, sed e iubēdo monet, & facere, quod pos-
fis, & petere quod nō possis: & adiuuat, ut pos-
fis. f Cuius mādāta graua non sunt; cuius g iu-
gum suaue est, & onus leue; qui enim sunt filij
Dei, Christum diligunt: qui h aut diligunt eū,
ut ipsemet testatur, seruāt sermones eius: quod
vtiq; cum diuino auxilio præstare possunt. li-
cet enim in hac mortali vita quātumuis sancti
& iusti in leuia saltem & quotidiana, que et-
iam venialia dicuntur, peccata quandoque ca-
dant, non propterea desinunt esse iusti, nam
k iustorum illa vox est & humilis, & verax:
Dimitte nobis debita nostra, quo fit, ut iusti i-
psi eō magis se obligatos ad ambulādum in via
iustitiæ sentire debeant, quo liberati iā à pec-
cato, l serui autem facti Deo m sobriè, iustè, &
piè viuētes, proficere possint per Christum Ie-
sum: per quē n accessum habuerunt in gratiam
istam. o Deus namq; p sua gratia semel iusti-

b Ex Aug.
c. 43. lib.
de nat. &
gratia.
c. 1. Ioa. 5.
inf cā. 18.
d Arauf.
2. c. 25.
e Vide
Hierō. in
epist. ad
Ctesiph.
1. Ioa. 5.
f Matt. 11.
Ioa. 11.
g Ioa. 14.
Conc. A-
fric. ca. 81.
82. & 83.
h Concil.
Mileuita-
num, c. 7.
8. & 9.
i Matt. 6.
Luc. 11. c.
adhuc, &
c de quo-
tidianis,
de pœnit.
dist. 3.
k Rom. 6.
l Tit. 2.
m Infra
can. 20.

n Ro. 20. ficatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur,
 o Aug. li. itaq; nemo sibi in sola fide blandiri debet, pu-
 de nat. & tans fide sola se heredem esse constitutum, he-
 gratia c. reditatemque consecuturum, etiamsi Christo
 16. & Pro. non q; compatiatur, vt & conglorificetur: nam
 eent. 7. ad & Christus ipse, vt inquit Apostolus, x cū esset
 c. Gallo- filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obediē-
 rum, & re- tiam; & consummatus factus est omnibus, ob-
 spon. ad temperantibus sibi, causa salutis eterne. Pro-
 7. obiect. pterea Apostolus ipse monet iustificatos, dicēs:
 Vincent. p Rom. 8. Nescitis, quod ij, qui s in stadio currunt, omnes
 q Phil. 2. quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic
 r Heb. 5. currite, vt comprehendatis. t Ego igitur sic cur-
 f 1. Cor. 9. ro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi
 t 1. Cor. 9. aërem verberans: sed castigo corpus meum, &
 in seruitutem redigo: ne fortè, cū alijs præ-
 dicauerim, ipse reprobus efficiar. Itē princeps
 u 2. Petr. 1. Apostolorum Petrus: uS atagite, vt per bona o-
 pera certam vestram vocationem & electionē
 faciatis. hec enim faciētes, non peccabitis ali-
 quādo. x Vnde constat eos orthodoxæ religio-
 nis doctrinæ aduersari, qui diuī iustum in o-
 mni bono opere saltem venialiter peccare, aut
 quod inolerabilius est, pœnas æternas mereri:
 atque etiam eos, qui statuūt in omnibus operi-
 bus iustos peccare, si in illis suā ipsorum socor-
 diam excitando, & sese ad currendum in sta-
 dia cohortando, cū hoc, vt in primis glorifi-
 cetur Deus, mercedem quoq; intuentur æter-
 nam. y cū scriptum sit: Inclinaui cor meū ad
 faci-

y inf. can.
 31.
 Psal. 118.

faciendas iustificationes tuas propter retribu-
tionem & de Mose dicat a Apostolus, quod
respiciebat in remunerationem.

a Heb. 11.

Prædestinationis temerariam præsum-
ptionem cauendam esse.

CAPVT XII.

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate
viuitur, de arcano diuine prædestinatio-
nis mysterio vsque adeo præsumere debet, vt
certo statuatur se omnino esse in numero præde-
stinatorum: quasi verum esset, quod iustifica-
tus aut amplius peccare non possit, aut, si pec-
cauerit, certam sibi resipiscentiam promittere
debeat. nam, nisi ex specialireuelatione, scire
non potest, quos Deus sibi elegerit.

infr. ean.

15. & 16. c.

corripia-

tur in fi.

24. q. 3.

Ezec. 18.

Galat. 3.

De perseuerantiæ munere.

CAPVT XIII.

Similiter de perseuerantiæ munere, de quo
scriptum est: Qui perseuerauerit vsque in
finem, hic saluus erit: quod quidem aliunde
haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum,
qui stat, statuere, vt perseueranter stet, et eum,
qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid
absoluta certitudine polliceatur: tæetsi in Dei
auxilio firmissimam spem collocare, & repo-
nere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius
gratiæ desuerint, sicut d coepit opus bonum ita
perficiet operans velle, & perficere. Verun-
amen qui se e existimant stare, videant ne

b Mat. 10.

& 24. c.

suggesta

7. q. 1. & c.

nō reuer-

tebantur,

de poeni-

diit. 2. in-

fra ca. 16.

& 22.

Ezec. 33.

c Rō. 14.

Philip. 1.

1. Cor. 8.

d Phil. 1.

& 2.

e 1. Cor.

10.

c Phil. 2.
 d 1. Pet. 1.
 e Rom. 8.
 f inf. can. 23. & 29.
 g Hie. 10. 1. in epist. ad Deme- tr. que in- cipit. In- ter oēs, forsan ex Tertul. 1. de pœn. c. secunda post nau- fragiū de pe. dist. 1. h Ioa. 20. Mat. 6. c. vt consti- tueretur, 50. dist. c. vt euidē- ter. 1. q. 1. cū sim. infr. sess. 14. de pœ. c. 2. 3. & 4.

cadāt; & cum c timore ac tremore salutē suā operētur in laboribus, in vigilijs, in eleemosy- nis, in orationibus, & oblationib. in ieiunijs, & castitate: formidare enim debēt, scientes d quod in spem glorie, & nōdum in gloriam re- nati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cū mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia. Apostolo obtēpe- rent, dicenti: e Debitorum sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

De lapsis, & eorum reparatione.

CAPVT XIV.

Q Vi verò ab accepta f iustificatiōis gratia per peccatum exciderūt, rursus iustifica- ri potuerunt, cū, excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum, merito Christi amissam gratiā recuperare procurauerint. hic n. iustificationis modus est lapsis reparatio: quam secundā post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti g Patres aptè nūcuparunt. Et enim pro ijs, qui post Baptismū in peccata labuntur, Chri- stus Iesus Sacramentum instituit Pœnitentiæ, cum dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorū remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorū retinueritis, retenta sunt. Vnde docēdum est, Christiani hominis pœnitentiā post lapsū mul- tō aliā esse à baptismali; eaque contineri non modò

modò cessationem à peccatis, & eorū detesta-
 tionem, aut cor cōtritum, & humiliatū,
 verum etiam eorundem sacramentalem Con-
 fessionem saltem in voto, & suo tēpore faciē-
 dam & sacerdotalem Absolutionem; itemque
 satisfactionē per ieiunia, elemosinas, oratio-
 nes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non
 quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramēto,
 vel Sacramenti voto unā cum culpa remitti-
 tur, sed pro pœna tēporali; quæ, vt sacræ litte-
 re docēt, nō tota semper, vt in b Baptismo fit,
 dimittitur illis, qui gratiæ Dei quam c accepe-
 runt ingrati, Spiritum sanctū contristauerunt,
 & d templū c Dei violare non sūnt veriti. De
 qua pœnitentiā scriptum est: Memor esto vnde
 excideris: age pœnitentiā, & prima opera fac.
 Et iterum: f Quæ secūdum Deum tristitia est,
 pœnitentiā in salutem stabilem operatur. Et
 rursum: g Pœnitentiā agite, & facite fructus
 dignos pœnitentiæ.

Quodlibet mortali peccato amitti gra-
 tiam, sed non fidem.

CAPVT XV.

ADuersus etiam hominum quorundam cal-
 lida ingenia, qui hper dulces sermones, et
 benedictiones seducunt corda innocentium,
 asserendum est non modò infidelitate; per quā
 & ipsa fides amittitur, sed etiā quocunque a-
 lio mortali peccato, quamuis nō amittatur fi-

a Isai. 50.
 c. sacrifi-
 cium, de
 pæ. dist. 1.

b Ita &
 Floren.
 Conc. in
 decretis
 Eugenij
 c Ep. 4. g.
 d 1. Co. 3.
 e Ap. 2. c.
 quia san-
 ctitas 50.
 dist. & c.
 miror. d.
 pæ. dist. 1.
 f 2. Cor.
 17.
 g Matt. 3.
 & 4.
 Luc. 3.
 h infr. e.
 27.

a 1. Tim. 1.
b 1. Co. 6.

des, acceptam iustificationis gratiã amittit: di-
uine legis doctrinam defendēdo: a que à regno
Dei nō solum infideles excludit, sed & fide-
les quoque fornicarios, adulteros, molles, mas-
culorum concubitores, fures, auaros, ebriosos,
maledicos, rapaces, ceterosq; omnes, qui leta-
lia committunt peccata; à quibus cum diuine
gratiæ adiumento abstinere possunt, & pro
quibus à Christi gratia separantur.

De fructu iustificationis, hoc est, de me-
rito bonorum operum, deque ip-
sius meriti ratione.

CAPVT XVI.

Hac igitur ratione iustificatis hominibus
siue acceptam gratiam perpetuò cōserua-
uerint, siue amissam recuperauerint, p. o. p. o.
nenda sunt Apostoli verba: c. Abundate in o-
mni opere bono, scientes quod labor vester non
est inanis in Domino. d. non enim iniustus est
Deus, vt abliuscatur operis vestri, et dilectio-
nis, quã ostendistis in nomine ipsius. Et, Noli-
te e. amittere confidentiam vestrã, que magnã
habet remunerationem. Atq; ideò benè operã-
tib. vsq; in finem, & in Deo sperãtib. propo-
nenda est vita eterna, & tãquam gratia filiis
Dei per Christũ Iesũ misericorditer promissa,
& tãquã merces ex ipsius Dei promissione bo-
nis ipsorũ operibus, & meritis fideliter reddē-
da hæc est enim illa corona f. iustitiæ, quã post

f 1. Ti. 4.

suam

suū certamē, & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddēdam: nō solūm autem sibi, sed & omnibus qui diligūt adueniū eius. Cū enim ille ipse Christus Iesus tanquā caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutē influat: quæ virtus bona eorū opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine quā nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent: nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendū est, quò minus plenè illis quidē operib⁹, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam eternā suo etiā tēpore: si tamē in gratia decesserint, cōsequendam, verè promeruisse censeātur: cū Christus, Saluator noster dicat: c Si quis biberit ex aqua, quā ego dabo ei, nō sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitā eternā. Ita neq; propria nostra iustitia, tanquam ex nobis propria statuitur: neq; ignoratur, aut repudiat iustitia Dei, quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eā nobis inherētem iustificamur: illa eadē Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neq; verò illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris litteris vsq; adeo tribuatur, vt etiā d qui vni ex minimis suis potum aquæ frigide dederit, promittat Christus eum nō esse sua mercede cariturum: & Apostolus e testetur, id quod in presenti est momentaneum, & leue tribulationis

c Ioan. 4.

d Mat. 10.
in fin. &
Matth. 9.
circa fi.
e 2. Co. 4.

f 1. Cor. 1.
in fin.
2. Cor. 10.
in fi.
Gal. 6.
Hier. 9.
g Ex Epi.
Celest. 1.
c. 12.
h Iac. 3.
i 1. Cor. 5.
k Ibid.

l Matt. 26.
m Rom. 2.

nostræ supra modum in sublimitate æternum
gloriæ pondus operari in nobis: absit tamen, vt
Christianus homo in seipso vel confidat, f ve
glorietur, & non in Domino: cuius tanta est
erga omnes homines bonitas, vt g eorum velit
esse merita, quæ sunt ipsius dona h Et quia in
multis offendimus omnes; vnusquisque sicut
misericordiam & bonitatem, ita seueritatē,
& iudicium ante oculos habere debet, neque
seipsum aliquis, i etiam si nihil sibi conscius
fuerit, iudicare: quoniã omnis hominum vita
non humano iudicio examinanda, & iudicãda
est, sed Dei; k qui illuminabit abscondita tene-
brarum, & manifestabit consilia cordium: &
tunc laus erit vnique à Deo, qui, vt scri-
ptum est, l reddet vnique secundum opera
sua.

Post hanc Catholicã de iustificatione do-
ctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiter q;
receperit, iustificari non potuit; placuit sancte
Synodo hos canones subiungere, vt omnes sciãt,
nõ solum quid tenere, & sequi, sed etiam quid
vitare, & fugere debeant.

DE IUSTIFICA- tione.

CANON I.

e sup. c. 1.
& 3.
Rom. 3.
1. Cor. 15.

Si quis dixerit, c hominem suis operibus
quæ vel per humane nature, vel per legis do-

Tri-

trinam fiant, absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.

CANON. II.

Si quis dixerit, ad hoc solum diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo fuisse viuere, ac vitam eternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed aegre tamen & difficulter possit: anathema sit.

CANON. III.

Si quis dixerit, sine praeueniente g Spiritus sancti inspiratione, atq; eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.

CANON. IV.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atq; vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac praearet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere: anathema sit.

CANON. V.

Si quis liberum hominis h arbitrium post ad peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immò titulū sine re, sumentum denique à satana inuectum in Ecclesiam: anathema sit.

f Cone.
Milcuit.
c.5. Conc.
Afr. cap.
86. & c.
vlt. de
consec.
dist. 4.
g Conc.
Arus. 2.
c.6. supra
caput 5.
Rom. 6.

h vide
Aug. lib.
1. cont. 2.
epist. Pe-
lag. c. 2.

CANON. VI.

b Vide
Aug. lib.
1. cont. 2.
epist. Pe-
lag. c. 3. &
Frosp. sē
ten. 14. ad
cap. Gal.

*Si quis dixerit, b nō esse in potestate homi-
nis, vias suas malas facere, sed mala opera ita,
vt bona; Deum operari non permiscuē solūm,
sed etiam propriē, & per se, adeo, vt sit propriū
eius opus non minus proditio Iudæ, quā vo-
catio Pauli: anathema sit.*

CANON. VII.

lorum, &
respō. ad
10. obiec.
Vicent.
Ioan. 1.
Conci.
Araus. 1.
circa fin.

*Si quis dixerit, opera omnia, que ante iu-
stificationem fiunt, quacumque rationē facta
sint, verē esse peccata, vel odium Dei mereri,
aut, quantō vehementius quis nititur se dispo-
nere ad gratiam, tantō eum grauius peccare:
anathema sit.*

CANON. VIII.

c Psal. 17.
Luc. 12. &
Marc. 9.
in fin.

*Si quis dixerit, c gehennæ metum, per que
ad misericordiam Dei de peccatis dolendo cō-
fugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum
esse, aut peccatores peiores facere: anath. sit.*

CANON. IX.

d super c.
1. & 2.

*Si quis dixerit, d sola fide impium iustifi-
cari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod
ad iustificationis gratiam consequendam coo-
peretur, nulla ex parte necesse esse eum sue
voluntatis motu preparari, atque disponi; a-
nathema sit.*

CANON. X.

e sup. c. 7.
Galat. 2. 5.
Ephe. 1. &
4.

*Si quis dixerit, homines, e sine Christi iustitia
per quam nobis meruit, iustificari, aut per eā
psam formaliter iustos esse: anathema sit.*

C A N O N X I.

Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & caritate, quae in cordibus a eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhereat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei: anathema sit.

a Rom. 5.

C A N O N X I I.

Si quis dixerit, b fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam diuinae misericordiae, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur: anathema sit.

b sup. e. 9.

C A N O N X I I I.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hesitatione propriae infirmitatis & dispositionis peccata sibi esse remissa: anathema sit.

C A N O N X I V.

Si quis dixerit, c hominem a peccatis absolui, ac iustificari ex eo, quod se absolui, ac iustificari certo credat, aut neminem verè esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici: anathema sit.

c sup. c. 9.

C A N O N X V.

Si quis dixerit, d hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo

d Aug. c. 13. lib. de corrept. & gratia, sup. c. 12.

esse in numero predestinatorum: anathema sit.

CANON XVI.

a Aug. li.
de bono
perfeu. c.

13.
supr. c. 12.
& 13.

Gal 3.
Ezech 18.

b Concil.
Arauf. 2.
c. 25.

c sup. c. 11.
1. Ioan. 5.

d Similis
error erat
Begardo-
rū à Cōc.
Viennēsi
damna-
torum
sup. c. 11.

Si a quis magnum illud vsque in finem perseuerantiae donum secretò habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit: anathema sit.

CANON XVII.

Si quis iustificationis gratiam non nisi predestinatis ad vitam contingere dixerit: reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidē, sed gratiam non accipere, utpote b diuina potestate predestinatos ad malū: anathema sit.

CANON XVIII.

Si quis dixerit, c Dei precepta homini etiā iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia.

CANON XIX.

Si quis dixerit, nihil preceptum esse in Euangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque precepta, neq; prohibita, sed libera: aut decem precepta nihil pertinere ad Christianos: anathema sit.

CANON XX.

Si quis hominem iustificatum, & d quantumlibet perfectum dixerit, non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesie, sed tantum ad credendum: quasi verè Euangelium sit nuda, & absoluta promissio vite æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum: anathema sit.

CANON XXI.

Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse vt redemptorem, cui fidat, non etiam vt legislatorem, cui obediant: anathema sit.

CANON XXII.

Si quis dixerit, b iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse: anathema sit.

b sup. 13.

CANON XXIII.

Si quis hominē semel iustificatum dixerit, c amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atq; idē eum, qui labitur, & peccat, numquam verē fuisse iustificatum, aut contrā posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quē admodum de beata Virgine tenet Ecclesia: anathema sit.

c sup. 3.
14.

CANON XXIV.

Si quis dixerit, d iustitiam acceptā non cōseruari, atq; etiam augeri coram Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, nō autem ipsius augendæ causam: anathema sit.

d sup. c.
16.

CANON XXV.

Si quis in quolibet bono opere instum e saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intollerabilius est, mortaliter, atque idē penas æternas mereri: tantumque ob id non damnari,

e sup. c. II.
in fi.

quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: anathema sit.

CANON XXVI.

a sup. c.
16.

Si quis dixerit, a iustos non debere pro bonis operibus, que in Deo fuerint facta, expectare, & sperare eternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo usq; b in finem perseuerauerint: anathema sit.

b Mat. 24.

CANON XXVII.

c I. Cor. 6.
sup. c. 15.

Si quis dixerit, c nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quatumuis graui & enormi præterquam infidelitatis, peccato, semel acceptam gratiam amitti: anathema sit.

CANON XXVIII.

Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem, que remanet, non esse veram fidem, licet, non sit uia; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum: anathema sit.

CANON XXIX.

supr. c. 14.

Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem; sed sola fide amissam iustitiã recuperare sine sacramento Pœnitentiæ, prout sancta Romana, & vniuersalis Ecclesia, à Christo Domino, & eius Apostolis edocta, hucusque professã est, seruaui, & docuit: anathema sit.

CANON. XXX.

*Si quis post acceptam iustificationis gratiã
cuilibet peccatorum pœnitenti ita culpã remitti,
& reatum æternæ pœnæ deleri dixerit; e vt
nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exol-
uendæ vel in hoc seculo, vel in futuro in Purgatorio,
antequam ad regna cœlorum aditus
patere possit: anathema sit.*

e Sess. 14.
c. 3.
f. infra
Sess. 25.
in prin.

CANON. XXXI.

*Si quis dixerit, iustificatum peccare, g dum
intuitu æternæ mercedis bene operatur: ana-
thema sit.*

g supra
c. 12. in fi.

CANON. XXXII.

*Si quis dixerit, hominis iustificati bona ope-
ra ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ip-
sius iustificati merita; aut, ipsum iustificatum
bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, &
Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum
est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ,
vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamẽ
in gratia decesserit, consecutionem, atq; etiam
gloriæ augmentum: anathema sit.*

CANON. XXXIII.

*Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catho-
licã de iustificatione, à sancta Synodo hoc præ-
senti decreto expressã, aliqua ex parte gloriæ
Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri,
derogari, & non potiùs veritatem fidei no-
stræ, Dei denique, ac Christi Iesu gloriam il-
lustrari: anathema sit.*

Decretum de Reformatione.

CAPVT I.

EAdem sacrosancta Synodus, eisdem Præsidentibus Apostolicæ Sedis Legatis, ad restituendam collapsam admodum ecclesiasticam disciplinam, deprauatosq; in Clero, & populo Christiano mores emendandos se accingere volens, ab ijs, qui maiorib. ecclesijs præsentunt initium censuit esse sumendum. Integritas enim præsentium salus est subditorum. Cõfidentis itaque per Domini ac Dei nostri misericordiam, prouidamq; ipsius Dei in terris Vicarij solertiam omnino futurum, vt ad Ecclesiarum regimẽ, onus quippè angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas, à puerilibus exordijs vsq; ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, secundum venerabiles beatorum a Patrum sanctiones assumantur: omnes Patriarchalibus, Primatibus, Metropolitanis; & cathedralibus ecclesijs quibuscumque, quouis nomine, ac titulo præfectos monet, ac mōitos esse vult, vt b̄ attendentes sibi & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eas regere Ecclesiam Dei, quã acquisiuit sanguine suo, vigilant, sicut Apostolus præcipit, in omnib. laborent, & ministerium suum implẽat: implere autem illud se nequaquam posse

sciant,

a c. in sacerdotib.
& c. Episcopu 61.
dist c. fi.
59. dist. &
infra Ses.
24. de refor. c. 1.
b Act. 20.
c. 2. Titu.
4.
Ioã. 10. c.
sit rector.
43. dist. c.
aduersus
7. q. 1. c.
nisi, de
genum.

sciant, si greges sibi commissos mercenariorum
 more deserant, atq; ouium suarum, quorum b
 sanguis de eorū est manibus à supremo iudice
 requirendus, custodie minimè incumbāt: cūm
 certissimum sit, c non admitti pastoris excusa-
 tionem, si lupus oues comedit, & pastor nescit.
 Ac nihilominus, quia nonnulli, quo d vehemē-
 ter dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui
 propriæ etiam salutis immemores, terrenaque
 cælestibus, ac diuinis humana preferentes, in
 diuersis curijs vagantur, aut negotiorum tem-
 poralium sollicitudine, ouili derelicto, atq; o-
 uium sibi commissarum cura neglecta, se deti-
 nent occupatos: placuit Sacrosanctæ d Synodo
 antiquos canones, qui tēporum, atq; hominum
 * iniuria penè in desuetudinē abierūt, aduer-
 sus non residentes promulgatos innouare; quē-
 admodum virtute præsetis decreti innouat, ac
 vltèrius, pro firmiori eorundem residentia, &
 reformandis in Ecclesia moribus, in hunc, qui
 sequitur, modum statuere, atq; sancire, Si quis
 à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, seu
 cathedrali Ecclesia sibi quocūq; titulo, causa,
 nomine, seu iure commissa, quacunque illæ di-
 gnitate, gradu, & præeminētia præfulgeat, le-
 gitimo impedimento, seu iustis, e & rationa-
 libus f causis cessantibus, sex mensibus cōtinuis
 extra suam diœcesim morādo absuerit: quar-
 tæ partis fructuū vnius anni, fabricæ Ecclesiæ,
 pauperibus loci per superiorē Ecclesiasticū ap-

pli-

b Ezech. 3.
 & 34.
 Act. 20.
 c Eph. 43.
 dist. c. 1. 13.
 q. 1. & inf.
 c. Sess. 24.
 c. 1. in fi.
 de ref.

d c. perue-
 nit cum
 multis
 seq. 7. q. 1.
 de cler.
 non resid.
 per totū
 & c. cum
 ex eo de
 elec. in 6.
 * al. incu-
 ria.
 e Vide
 Sess. 23. c.
 1. refor. v-
 bi causæ
 subiudi-
 cantur.
 f c. ex tuæ
 de cler.

a infra
Sess. 23. de
reform.
c. 1. & 2.

applicandorum, pœnâ ipso iure incurrat. a Quod
si per alios sex menses in huiusmodi absentia
perseuerauerit; aliam quartam partem fructuū
similiter applicandam eo ipso amittat. Crescē-
te verò contumacia, vt seueriori sacrorum ca-
nonū censuræ subijciatur, Metropolitanus suf-
fraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum
vero absentē suffraganeus Episcopus antiquior
residens, pœna interdicti ingressus Ecclesie eo
ipso incurrenda infra tres menses per litteras,
seu nuntium Romano Pōtifici denunciare te-
neatur: qui in ipsos absentes, prout cuiusq; ma-
ior, aut minor contumacia exegerit, sue supre-
mæ Sedis auctoritate animaduertere, & eccle-
sias ipsas b de Pastoribus vtilioribus prouideri
poterit, sicut in Domino nouerit salubriter
expedire.

b c. ex par-
te de cler.
non resi.

CAPVT II.

Episcopi inferiores, quæuis beneficia Eccle-
siastica personalem residētiam de iure, si-
ue consuetudine exigentia, in titulum, siue
commendam obtinentes, ab eorum Ordinarijs,
quæadmodum eis pro bono ecclesiarum regi-
mine, & diuini cultus augmento, locorum, &
personarum qualitate pensata, expediēs vide-
bitur, opportunis iuris remedijs residere cogā-
tur: nulliq; privilegia, seu indulta perpetua de
non residēdo, aut de fructibus in absentia per-
cipiendis, suffragentur. Indulgentijs verò, &
dispensationibus temporalibus, ex veris, & ra-

c c. fin. de
reform.
in 6.

tio-

tionabilibus causis tantum concessis, & coram Ordinario legitime probatis, in suo robore permanens, quibus casibus nihilominus officium sit Episcoporum, tamquam in hac parte à Sede Apostolica delegatorum, providere, ut per deputacionem idoneorum Vicariorum, & congruè portionis fructuum assignacionem, cura animarum nullatenus negligatur: nemini quoad hoc, priuilegio, seu exemptione quacunque suffragante.

CAPVT III.

Eccliesiarum Prælati ad corrigendâ subditorum excessus prudenter, ac diligenter intendant: & nemo secularis Clericus, cuiusvis personalis, vel regularis, extra monasterium degens, etiam sui ordinis priuilegij & prætextu tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

CAPVT IV.

Capitula cathedralium, & aliarum maiorum ecclesiarum, illorumque personarum, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententijs, iuramentis, concordijs, que tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus à suis Episcopis, & alijs maioribus Prælatibus, per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta

a cano-

c. c. cū ex
eo. de e-
lec. in c.
beneficiū
de regul.
co lib. &
infra, Sess.
7. c. 5. & 7.
de refor.

* fortè
legendū,
vel cuius-
vis ordinis
regularis.
d inf. Sess.
13. de re-
for. c. 1. &
4. 2. Sess.
14. c. 4. &
5. de re. o.

e Sess. 25.
c. 6. de re-
for. & c.
9 refor.
Sess. 14.

a infra
Sess. ult.
de refor.
cap. 6.

Sess. 14.
c. 2.
Vide 1.
Nic. c. 17.
& 2. Arc-
lat. c. 13.
& Anti-
och. c. 13.
Sard. c.
18. & 19.
& 3. Car.
c. 20. &
21. Conc.
Aurel. 3.
c. 15. c.
placuit.
cum seq.
2. q. 1. &
infr. Sess.
14. de re-
for. c. 3.
& 8.

a *canonicas sanctiones, toties, quoties opus fu-
erit, visitari, corrigi, & emendari, etiam au-
thoritate Apostolica, possint, & valeant.*

CAPVT V.

Nulli Episcopo liceat cuiusvis priuilegij
pretextu Pontificalia in alterius diocesi
exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licen-
tia, & in personas eidem Ordinario subiectas
tantum; si secus factum fuerit, Episcopus ab
exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab ex-
ecutione ordinum sint ipso iure suspensi.

Indictio futuræ Sessiois.

Placet ne vobis proximam futuram Ses-
sionem celebrari die Iouis feria quinta post
primam Dominicam subsequentiis Quadrage-
sime, quæ erit dies tertia mensis Martij? Re-
sponderunt: Placet.

SESSIO SEPTIMA,
CELEBRATA DIE III.
MENSIS MARTII.
M. D. XLVII.

Decretum de Sacramentis.

PROOEMIUM.

AD consummationē salutaris de iusti-
ficatione doctrine, quæ in precedenti
proxima Sessioe vno omnium Patrū

con-